



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

121. Ut nulla præmia pro baptizandis requirantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut nulla præmia pro baptizandis requirantur. *Ex epistola Gelasij Papa.*

Decreta Gelasij. c. 5.
Burchard. lib. 4. c. 71.

CXXI. Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant, nec inlationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil à prædictis prorsus exigere moliantur, quò vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione vocati, redemptionis suæ causas adire despiciant; certum habentes quòd qui prohibita admisisse fuerint deprehensi, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprij sint honoris.

Ut nemo pro sepultura quicquid exigat. *Ex epistola Gregorij Papa.*

S. Gregor. lib. 7. Indict. 2. epist. 55. Capitulare Ahytonis c. 24.

CXXII. Grave nimis & procul est à sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium & nos, postquam Deo auctore ad episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & pravam denuo consuetudinem nequam usurpari permisimus, memores quidam Abraham à filiis Ephron, hoc est, filio Seor, sepulcri pretium ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde hoc avaritiæ vitium ne vel in alienis denuo tentari